

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO CHIRURGICA*

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-tertiâ
mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.



M. LUDOVICO - ALEXANDRO GERVAISE, Doctore
Medico, Præfide.

An legitima Vulnerum suppurationi promovendæ Cortex Peruvianus?

I.

NATURAM esse morborum medicatricem jam dudum agnoverat Hippocrates; nullumque vulgatus est axioma apud antiquos Medicinæ Magistros. Quantis autem viribus tam salutare præstet effectus ex suppurationis opere pulcherrimè patet: nihil enim aliud est quam Naturæ conamen ad ejicienda omnia illa virali fluidorum motui prorsus inepta, quæ in vulneribus, in ulceribus & in discessibus Chirurgicis, carni farciendæ, coalituris partibus, & vasculis iterum intertextendis, omnino obstant. Illud autem Natura perficit atterendo solidorum simul & fluidorum moleculas, ita ut penitus resolvantur in humorem album, pinguem, tenacem, æquabilem, & minimè foetidum, qui Puris nomine donatur. Cum leve vulnus est, ab acuto telo influctum, & in partes sanguineis vasculis non multum refertas, tunc absque suppuratione ad cicatricem perducì potest. Si autem amplum sit vulnus, gravis exurgat inflammatio & carnes collisæ laceratæque sint, in pus versæ tabescere debent, ut optimè annotavit divinus senex (a). In vulnere sanguis statim effluit, sed brevi contractis sectorum vasorum orificiis, sunt obstructions, vera oritur inflammatio. Peragitur cœstio quædam materiei ruptis vasis impactæ, quæ dein separatur à vivis partibus, unâ cum imperviis vasorum finibus. Legitima sic instituitur suppuratio, quæ quidem nonnisi à motûs vitalis actione repetenda venit.

(a) Περι δλκων.
Sect. VI. pag.
245.

II.

IN oris, seu, ut aiunt, in labiis vulnerum, duplicis generis reperiuntur vasa. Alia per medium secta hiulcis orificiis sanguineum laticem evomunt: alia quæ integra permanere fauciatæ partis nutritioni conservatiqne inserviunt. Citato

* Authore M. Ludovico-Anna LAVIROTTE, anno 1752.

itaque & uberi fluxu cruentus ille humor exprimitur è vasis ruptis; sed postea inanius quædam in ipsis succedit, contrahuntur eorum oscula, ex his repellitur sanguis; hæc ergo ratione magis expanduntur integra vasa in quibus viget humorum circuitus. Supprimunt tandem omnis effluxus sive ab hiantium orificiorum constrictione, sive à compressione valorum vicinorum quæ læsionem haud acceperunt. Majori solito copii in hæc derivantur humores, turgescunt, distenduntur parietes eorum. Magno dein impetu insurgunt corporis vires, vividius oscillant valorum integrorum fibræ, hinc dolor, tumor, rubor & æstus. At tunc non modò pars vulnerata afficitur, concusso enim toto systemate nervo, corpus univèrsum in consensum trahitur, & quasi contremiscit, acutaque febris excitatur. Sic itaque, ope virium illarum insurgentium, fit coctio vera materiei impactæ, vasis ruptis indefinenter compressis & quasi attritis à vividâ arteriarum actione. Peractâ tandem, circa diem septimum, salutari illa concoctione, impervia vasorum extrema unâ cum stagnante quâ turgent materie, resolvuntur in liquamen fatis spissum subalbicans & æquabile quod Pus vocant. Ut legitimum igitur conciatur Pus, eadem requiritur coctio ac in febribus putridis ut

(a) Hippoc. *Προσ τοσθεϊκόν*, Sect. II. pag. 7. Edit. Foët. *apparet in urinâ sedimentum illud leve, album, quod tam fausti ominis est (a). Propria igitur vi suppurationis opus molitur Natura haud dissimili mechanismo ac in febribus crisis excitatur. Hinc in magnis vulneribus legitima nunquam adest suppuration, quin & simul appareant criseos, sive solutæ materiei signa, & potissimum in urinis hypostasis illa levis & alba, quæ tanquam optimum signum*

(b) De Febribus lib. 1, cap. 7. *jure ac meritò laudatur à Galeno (b), ubi de suppuratione verba facit.*

I I I.

PUS itaque non efformatur exera vasa; sanguis in cavitate quâdam effusus in Pus minimè convertitur, ut contendunt nonnulli. Corruptitur quidem, abitque in aliquid putridi, seu in tabum, cadaverosum foetorem olens: sed Pus verum nullo modo perfici potest nisi à vi vitæ, seu à Naturâ sese ab inerti & noxiâ sarcinâ expediente quâ gravatur pars, cicatricique obstititur. Contrarium tamen sequi libenter crederetur ex illâ Hippocratis sententiâ, (a) *si in ventrem sanguis effusus fuerit præter naturam, necesse est suppurari*. Verùm fidæ illud repugnare observationi optimè annotavit expertissimus Galenus, Hippocratemque haud propriè suppurationis verbum hic accepisse, sed tantum pro conversione in sanie, aut pro sanguinis quâdam depravatione. Alibi verò (b) *suppurationem à putredine vix discernere videtur divinus senex, ubi carnes contusas necessariò putrescere affirmat. Sed probè hic adhuc attendendum cum Galeno quod duplex putredinis genus admittebat, alterum, vincente Naturâ, alterum verò, devictâ; ita ut, loco citato, per putredinem intelligenda sit, tantum depravatarum partium degeneratio quædam, seu coctio necessaria ut à partibus sanis, victrice Naturâ, separari queant. Si igitur vires vitales, quæ in suppurationis opere tanta præstant, imbecilliores deprehendantur, eas profectò adjuvare vel folliciariæ valet medicamentum roborans; si è contrariò validiores, vehementiori earum impetui reprimendo, haud impar esse idem remediù genus experientiâ duce comprobandum est.*

I V.

HAUD rarò accidit vulneratum, aut operationem Chirurgicam expertum, cachecticum esse, & aded imbecillum ut alimentorum nonnisi prava fiat digestio, hæmatorisque omninò imperfecta. Hinc Pus minimè laudabile generatur, sed ichorosum, tenue, acre, corrosivum; vulnus carne spongiosâ fordes-

(a) Aph. 20. Sect. IV.

(b) Περὶ ελκωρ. Sect. VI. pag. 245.

cit; contabescit; febrî heclicâ corripitur æger, exhaustusque tandè de vitâ periclitatur. Hoc in casu frustra unguentorum, topicorumque genus omne adhibebit Chirurgi diligentia. Tantis malis obviam ire Medici munus est. Salutarem hunc attinget scopum si fibris laxioribus tonum conciliet, si corpori robur addat, viresque redintegret, ut ritè functiones exerceri queant. Nihil autem certius ad hæc conducere valebit quàm cortex Peruvianus, cujus vires, in his adimplendis indicationibus, jam toties apud Medicum orbem celebratæ fuerunt. Hæc potissimum ratione, in gangrænâ, cæteris medicamentis internis (a) palmam prærit, ut patet variis experimentis & observationibus Medicorum præsertim Edimburgensium; quæ quidem inconcussa manent, invitis inanibus illis quæ nuper objicit Anglus aliundè haud incelebris nomine *Sharp* (b). Cùm hæc probè novisset *Clar. Monroo*, corticem illum insignem in variolis mali generis adhibere non dubitavit, ubi pustulæ vix ad suppurationem perducî posse videbantur, aderantque petechiæ, aut exanthemata, quæ gangrænæ metum incutiebant. Hujus autem medicaminis usu, tenuis vesicularum sanies in Pus legitimum (c) vertebatur, ac petechiæ malignæ paulatim evanescent. Tam felices habuit eventus ut brevî apud Medicos complures methodus illa non sine magno plausu excepta fuerit. Pari cum successu præscriptum fuit kina-kina, ut promoveretur suppuratio, post magnas operationes Chirurgicas, artuum amputationes v. g. Lithotomiam, Bubonocelen, Hydrocelên, &c. Quàm eximios præstet effectus in sclopetorum vulneribus variæ testantur observationes (d). Juvenis cujus ictu sclopeti gravissimè fauciati fuerant pulmões, (e) ingenti quantitate Puris foetidi excretâ per tres annos & amplius, diurno lactis & Peruviani corticis usu curatus fuit. (1)

Verùm si in juvene robusto, post institutam operationem Chirurgicam, vehementis oriatur inflammatio, febre, vigiliis, siti, doloribus &c. stipata, nulla ob orgasmum fit suppuratio, timendique locus est ne gangræna vulneratas partes invadat, præsertim ubi maximè contusæ, dilaceratæque sunt, ut v. g. in calculi fessione per magnum, ut vocant, apparatus fieri consuevit. Sanguinem tunc mitti jubet Medicus pro ægri viribus, varia antiphlogistica præscribit, cum tenuiori dietâ ex vegetabilibus potissimum depromptâ; sed fausto cum successu exhibetur, uno & eodem tempore, Peruvianus cortex, cui etiam addi possunt medicamenta quædam temperantia, quæ vehementiores motus reprimere valeant. Sic in ulum vocato cortice, per primos septenarios aut novenarios dies, non adèò gravis excitatur inflammatio, promovetur coctio illa suppurationi omninè necessaria, cujus quidem coctionis nulla unquam apparent signa, perdurante organo, seu phlogosis statu.

V.

AT, inquit, quomodo salubre possit esse kina-kina in vulneribus validæ inflammationi & gangrænæ obnoxii, sicut & in iis ubi defectus fibrarum tonus, vires languentes, nimisque lymphaticorum humorum affluxus contrariam curationem postulare videntur. Verum certissimis constat observationibus corticem illum nimiam solidorum tensionem (a) minuere, eorumque irritationes à doloribus ortas, sicut & etiam spasmos compescere: quippè vividiorè fibrarum actionem, vehementioremque sanguinis motum reprimat, ideoque, non neglectis etiam aliis auxiliis, coctioni, suppurationique maximopere favet. Frustrâ objiceretur vim quam hic cortici nostro tribuimus, minùs benè congruere cum

(1) In laudatis autem casibus exhibetur Kina-kina sub formâ pulveris, quartâ quaque horâ, ad scrupulos duos vel drachmam unam, cum conservâ aut syrupo corticis aurantiacini, per duodecim dies, donec robur corpori accedat, legitimeque puris notæ appareant.

(a) Vid. Mollinelli, *Inst. Bonon.* Tom. II. Part. I. p. 196.
(b) *Recherches critiq. sur l'état préf. de la Chirurgie.* p. 320.

(c) *Medical Essays, Tom. V.* pag. 98.

(d) Vid. Ranby, on Gun-Shot Wounds, p. 72.
(e) *Philosophical Transactions* n^o. 474, art. V.

(a) V. inter alia, *Sydenhamæ opera*, p. 412. edit. Lugdun. Bat.

(a) Vid. Lan-
grish, Expé-
riences sur les
effets du Lan-
cier-cétiiser.

specificâ virtute, quâ tam efficaciter febres intermittentes debellare valet: harum enim curationi magis forsan conducit, vasculorum spasmos constrictionesque resolvendo, quam humoribus fluiditatem, solidisque *vibratilitatem* conciliando. Hucusque, solâ ferè experientiâ duce, de plerorumque medicaminum viribus judicare nobis datum fuit (a): mechanismus autem, quo in œconomiam animalem suos edant effectus, tam opacis latet plerumque tenebris obvolutus, ut vix de his aliquid certi pronunciari queat. In altero verò statu, kina-kinâ laxiora solida ad pristinum tonum restituit, blandum circuitus motum humoribus impertit, secretionem promovet, dejectas vires refocillat, corpusque imbecille & cachecticum adeò corroborat, ut pus ritè perfici possit, aliquoties tamen accidit ægrum tam debilem esse, aut humores adeò spissos & tenaces, ut cortex à primis viis in sanguinem vix perducî queat. Tunc prudentis est Mediçi remedia quædam incisiva, aperientia, simul præscribere, quæ kina-kinæ in secundas vias transmissionem, ipsiusque per totum corpus distributionem adjuvare valeant: His igitur rationibus & experimentis freti concludere non dubitamus.

Ergò legitimæ Vulnerum suppurationi promovendæ cortex Peruvianus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Philippus PETIT-RADEL. M. Petrus PUJO.

M. Jacobus-Lud ALLEAUME;
antiqvis Facultatis Decanus
& Militarium Nosocomiorum
ad Regis exercitum, nec-non
in Insulis Americanis nuper
Medicus Regis.

M. Renatus LOUICHE DES-
FONTAINE, Regiæ Scientia-
rum Academiæ Socius. M. Antonius-Josephus-Victor
LENDORMY-LAUCOUR.

M. Claud-Franc. GRANCLAS,
Eques, Stanislat I, Polonia-
rum Regis, olim Consularius
Medicus, & Regionum Exerci-
tuum à Consulibus Medicis.

M. Nicol.-Franc. LAVERNE, M. Joannes-Nicolaus CORVI-
Rei Obstetriciæ ad annos 1787- SART-DESMARETS.
9, Professor.

M. Ludovicus-Alexander GER-
VAISE, alius Præfes.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS-BARTHOLOMÆUS-JOANNES LECLERC;
Parisius, in Supremo Senatu Patronus, necnon Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1786.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1786.